



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

Delvaux, André

Coloniæ Agrippinæ, 1686

15. De effectu appellationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

velut deferta appellatione, mandare executioni (parte tamen citata, ut tenet Bald. in l. Si contra 8. Cod. De appellat. & in l. 2. in fine Cod. De temporib. appellat. & Franc. in d. c. Ex ratione hoc tit.) non expectato lapsu biennii, secundum Marantam, p. 6 actum 2. num. 23. tum quia lex non dat biennium, nisi iusta subsistente causa, & quidem evidenter probata: tum quia primum annum lex vocat primum fatale & secundum annum vocat secundum fatale, l. 2. in princ. & ibi Gloss. Cod. de tempor. appellat. quod non recte diceretur, nisi primi anni lapsus perinde atque lapsus secundi anni perimeret appellationem, non dato & probato impedimento, Clement. Sicut h. c. l. fin. Cod. d. tit.

6. Non tamen sufficit sola impedimenti probatio, nisi ultra appellans de diligentia sua doceat, etiam ad impedimentum amovendum: quia tunc demum dicitur ex iusta & necessaria causa impeditus, quando facta diligentia remanet impedimentum; & qui potest facere, ut possit, jam dicitur posse, l. 135. D. De reg. iuris. Nec dicitur impeditus, qui facile potest impedimentum amovere, imò dicitur illud volens pati Latè Scaccia qu. 15. art. 16.

7. Cæterum hic queritur, an iuste impedito in primo anno semper detur integer secundus annus? Et quidem non est dubium, dari integrum, quando toto primo anno fuit impeditus, vel diligentiam debitam adhibuit, licet impedimentum parum duraverit, Scaccia d. loco artic. 5. versio Primus casus est, cum seq. At verò quando non fuit toto primo anno impeditus, sed aliquo tempore tantum, an ei tunc detur secundus annus integer, non satis convenit.

8. Omissis aliorum variis distinctionibus, tamen si ea sententia de rigore juris verior videatur, quæ subsistente in aliqua parte primi anni impedimento, existimat, dandum esse secundum annum; non ut indistinctè eo toto appellans uti possit, sed ut inde tantum defumat, quantum in priori anno per quodcumque iustum impedimentum ei fuit ademptum, arg. l. Ab hostibus & sed quod simpliciter D. de quibus causis majores &c. tamen usu fori, præsertim Ecclesiastici, magis obtinuit, ut propter quodcumque impedimentum primi anni detur secundus integer, modò extet aliqua dili-

gentia appellantis, & totus primus annus non fuerit negligentia lapsus, sive potuerit, sive non potuerit appellans, deducto impedimenti tempore, in reliquo causam appellationis peragere, quia tale impedimentum appellanti non debet ad damnum referri, sed appellato ad prænam, s. Significante 69. hoc titul. Capella Tholof. 9. De eis 331. Probatur ex Auth. Si appellat. Cod. d. tit. ubi dicitur, quod ad obtinendum hunc secundum annum sufficiat, si vel novissima induciarum die appellans ad agendam causam coram iudice compareat Confirmatur ex eo, quod totus primus annus sit in arbitrio appellantis, quando velit incipere & proficui appellationem, modò supersit sibi tempus sufficiens ad eam finiendam, arbitrio Iudicis determinandum, juxta Oldrad. Conf. 60 n. 3. vers. Quod si impeditus. Videatur de his Scaccia qu. 15. art. 5.

9. Illud autem discriminis est inter primum & secundum annum, quòd primum simpliciter & ipso jure detur, secundus autem etiam ipso quidem jure detur, sed non nisi ex iusta & necessaria causa. Insuper quòd primus annus non sit præcisè fatalis, sed tantum sub conditione si nulla iusta intervenerit causa, quæ appellantem impederit, quia ex tali causa datur secundus annus. At verò secundus est præcisè fatalis.

10. Cur autem legitime impedito in secundo anno non tam detur tertius annus ipso jure quam impedito in primo anno datur secundus, ratio est, quia jus præsumit quemlibet appellantem posse quamlibet causam appellationis, quantumvis arduam, peragere, intra biennium, modo summa ope summoque opere, prout lex requirit, ad hoc nitatur, eo quod in usu id sit frequentius, aut fieri possit, arg. l. Ex his, cum l. seq. D. De legibus. Et ideo hoc præcisè tempus protequendæ appellationis præscribit, ut tanto certior celerique sit litium finis.

§. XV.

De effectu appellationis.

1. Regulariter appellatione pendente nihil innovandum.
2. Attentata post appellationem à definitum statim revocanda.

3. Ab interlocutoria non alia, quam ubi consistit de causa.
4. Idque in appellatione cum judiciali tum extrajudiciali.
5. Non indistinctè tamen, & ratio differentia.
6. Præterea appellationem oportet esse intimatam judici & parti.
7. In quacumque parte iudicii revocatio fieri potest.
8. Forma potendi revocari attentata duplex.
9. Vis interest, utrum pars appellans, an verò appellata assensu veris.

Regula Juris est, pendente decendio ad appellandum, aut etiam pendente appellatione, sive recepta sit, sive non nihil posse innovari seu attentari in causa, verum omnia in eodem statu, in quo erant tempore introducendæ vel introductæ appellationis, quamdiu de ea cognoscitur, manere oportere, *l. unica D. Nihil innovari appellat. interpos.* Et quidem si recepta sit appellatio, quia recepta est; si verò non sit recepta, ne ullum appellationis præjudicium fiat, priusquam deliberatum fuerit, an recipienda sit vel non *dicta lege unica, capite Bona memoria 51. vers. præmissus hoc titulo capite Non solum eod. in 6.* Deinde quia per appellationem iurisdictioni Iudicis à quo suspenditur, *cap. Si à iudice hoc titulo in 6. l. ult. §. fin autem Cod. de temporib. appellat. l. Cum inter sup. De sent. & re iudicata, & quasi dormitare videtur, c. Pastoralis 53. §. 1. hoc tit.* Appellans enim eximit se à iurisdictione Iudicis à quo in ea causa, in qua appellaverit, *c. De rita 39. b. 1.*

2. Ideoque si post appellationem à definitiva aliquid innovaverit seu attentarit Iudex à quo; illud in primis statim & ante omnia per Iudicem appellationis remedio attentatorum revocari, irritari seu cassari debet *c. Dilectis finis 55. sub finem vers. quia tamen per appellationem b. 1. Franc. in c. Consuluit & d. e. Bona 51. hoc tit. nisi forte causa attentatorum alio rem requirat indaginem, nec probari in continenti possit; nam tunc principalem causam non suspendit nec impedit, sed utramque simul prosequi oportet, l. Si confiteris Cod. Finium regund. Gaill. 1. Ob/er. 146.*

3. Si verò post appellationem ab interlocu-

toria quid innovaverit, id revocari & cassari debet, ubi causam appellationis veram esse confiterit *d. cap. Non solum*; nisi Iudex appellationis, devoluto ad se negotio, Iudici à quo inhibuerit, ne procedat ulterius, *d. cap. Non solum.*

4. Habet autem hoc remedium attentatorum locum, non tantum in appellatione judiciali, sed & extrajudiciali, quia non solum prohibet lex aliquid innovari, pendente appellatione, sed generaliter lite pendente, *cap. 1. & 2. sup. Et se pend. nihil innovatur* & ideo, cum appellatio extrajudicialis ut minimum sit provocatio ad causam, *c. Cum sit Romana 5. vers. si verò hoc sit* etiam litis constituit pendendam; ac proinde quo post eam innovatur, rectè pendente lite innovari dicitur, & per consequens etiam ante omnia revocari oportet.

5. Hoc tamen est discrimen inter appellationem judicialem & extrajudicialem, quod in judiciali revocentur omnia, licet non sint directè contra appellationem; in extrajudiciali verò ea dumtaxat, quæ sunt directè contra appellationem, & non alia, ut tradit Maranta 6. p. acti 2. num. 4. Ratio differentie est, quod appellatio judicialis etiam in uno articulo, sive habeat connexitatem cum tota causa, sive non, in totum & quoad totam causam suspendat iurisdictionem Iudicis; Ideoque omnia revocantur. At verò appellatio extrajudicialis non suspendit iurisdictionem, ex quo extrajudicialiter proceditur; ideoque revocatur dumtaxat quod est in gravamen appellationis, seu contra appellationem.

Dixi, sive habeat connexitatem cum causa principali, sive non; quia licet juxta aliquos & quidem in puncto iuris appellatio ab uno articulo, qui separatus sit à causa principali, non suspendat iurisdictionem, nisi respectu illius articuli; tamen secundum Glossam & Abbatem in *cap. Super eo 10. hoc tit.* cui conformis est praxis, suspendit, sive sit connexus, sive non; ne, cum arbitrio Iudicis relinquatur, quæ sint connexa, quæ non, facile inclinetur ad iudicandum pro connexitate, ut sic totam causam ad se trahat. Videatur Scaccia q. 17. l. 7. memb. 2. v. 12.

6. Insuper ut attentata in judiciali appellatione revocentur, necesse est, quod appellatio fue-

fuerit intimata Iudici & parti: nam alias Iudex & pars, ignorantes appellationem, possunt de jure procedere in causa, nec revocantur tunc per eos attentata Maranta *d. loco* Secus in extrajudiciali, in qua revocetur, licet non fuerit intimata appellatio, ut *ibid. tradit n. 403.*

7. Potest autem peti revocatio attentatorum in quacumque parte iudicii, usque ad conclusionem in causa, non ultra, Maranta *d. loco* Gaill. 1. *Observi 46. n. 10. Rota 27. Decis. Licet pars, in novis hoc sit.* Quod intellige quoad attentata ante conclusionem: nam secus obtinet in commissis post conclusionem.

8. Petuntur revocari dupliciter: aut implorato principaliter officio Iudicis, pro ipsorum revocatione, aut accessorie, proseguendo appellationem, Et hoc casu, quamvis super li bello attentatorum contestata lis fuerit, si à causa principali separari queant, revocari ante sententiam definitivam poterunt: alias si talia sint, ut non possint rescindi nisi per sententiam definitivam, ea expectanda erit, ut in casu *l. Chronographis §. 1. D. De administrat. tutor* Gaill. 1. *Observi 46. n. 8.*

9. Cum verò attentata fiant aut per partem aut per Iudicem, & utroque casu ante omnia revocanda sint, prout latè tradit Monachus in *e. Cupientes n. 132. cum seqq. De elect. in 6.* multum interest, utrum appellans, an appellatus attentet: quia si appellans aliquid attentet, quod sit contra propriam appellationem, veluti si pendente appellatione adversarium sua possessione, quæ controversitur, spoliat, eo ipso tanquam sibi contrarius censetur non deferre propriæ appellationi, & jus sibi ipsi dicendo contemnere Iudicem, sicque indignum se appellationis beneficio facit; eum frustra legis imploret auxilium, qui contra legis nititur voluntatem, *e. Bona memoria sup. De elect. lega. Auxilium §. fin. D. De minorib.* Ac proinde sententia à qua statim transit in rem iudicatam; eamque Iudex à quo potest executioni mandare, petinde ac si nunquam fuisset appellatum, *e. Cum stat. 5. h. t.* Nec hoc casu opus erat appellato exhibere libellum, ut attentata revocentur, sed solum ut iis probatis Iudex appellationis causam tanquam desertam pro executione ad Iudicem à quo remittat. Secus autem, si attentata non sint contraria appellationi, quia

eo casu revocari debent. Videatur Gaill. *d. Obs. 146. ubi n. 19.* tradit, quo pacto pronuntiari debeat, quando appellatus vel Iudex à quo pendente appellatione attentat.

§. XVI.

De privilegiis remedio attentatorum competentibus.

1. Huic remedio non potest opponi exceptio proprietatis.
2. Nullam requirit prioris status justitiam.
3. Non requirit ordinem iudicarium.
4. Agenti hoc remedio non potest opponi exceptio excommunicationis.
5. Datur adversus quemcumque possessorem.

1. **R**emedio autem attentatorum plurimum competunt privilegia, estque longe promptius remedium spoliato seu turbato in sua possessione, quam interdictum unde vi: nam licet spoliatus ante omnia sit restituendus, ita et attentata & innovata ante omnia sit revocanda, *cap. non solum hoc sit. in 6.* tamen agenti, ut attentata revocentur, non potest opponi ulla exceptio proprietatis aut potioris juris, *Afflicti. Decis. 352.* sed sufficit constare quoquo modo, adversus eum attentatum & innovatum fuisse. At verò agenti interdicto unde vi, notorius defectus proprietatis obijci potest, & saepe restitutionem remoratur, *e. Ad decimas De vestitut. spoliatis in 6.* Item opponi potest exceptio alieni spoli cap. 2. §. *sed quoniam sup. De ordine cogniti.* Innovati autem revocationem non moratur partis adversæ attentatum: licet de eo quoque revocando æque expedite agi possit, utriusque parti ex æquo patente Iudicis officio, *Panormit. in e. Bona memoria 51. h. t.*

2. Insuper in interdicto ex causa spoliæ requiritur allegatio & probatio seu justificatio alicujus tituli, saltem colorati, *Clement. 1. De causis possess. & propriet.* non verò in remedio attentatorum, in quo nulla requiritur prioris status justitia, sed sufficit sola veritas.

3. Præterea in interdicto, quia est ad instar actionis, §. *ult. Institut. De interdicti* ordo iudicialis observandus est: nec sine libello, litis contestatione, & aliis, quæ in ordinariis iudiciis plerumque requiruntur, ad restitutionem pervenitur, *cap. 2. sup. Ut lice non contestata.*